

Cr. 13. num. 11.


1768, 11.

10
SPECIMEN
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSI
DE
IVRE PARTVS SPVRII
EXIGENDI ALIMENTA A PATRE
NON OBSTANTE TRANSACTIONE
INITA CVM MATRE
Q V O D
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. IVR. NAT. ET GENT. PVBLIC. ORDIN.
ET SOCIEATAT. LITER. DIVISBVRG.
SOCIO
DIE XXV. MAII ANNO CIDIQCCLXVIII.
IN AVDITORIO PETRINO
PVBLICE DEFENDET
IOANNES GOTTLLOB GANS
ZITTAVIENS.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.





VIRIS

MAGNIFICIS CONSULTISSIMIS AMPLISSIMIS
EXCELLENTISSIMIS PRUDENTISSIMIS

CONSULIBVS

SYNDICO

PRAETORIBVS

ASSESSORI

SCABINIS

RELIQVISQUE

SENATORIBVS

CIVITATIS ZITTAVIENSIVM

CELEBERRIMAE

PATRONIS PIE COLENDIS

YIRIS

WAGHILICIS CONSULTA VITIUM VITIIS

HICHTZIUS LIVUS DEDICAT

1610

1610

1610

1610

1610

1610

1610

1610

1610

V I R I

MAGNIFICI CONSULTISSIMI AMPLISSIMI
EXCELLENTISSIMI PRUDENTISSIMI

P A T R O N I O P T V M I

*Quamuis plurimae me incitare possint causae
ad gratitudinis summae testimonium pu-
blice ferendum, tamen magnitudo beneficiorum, quibus
VIRI MAGNIFICI et AMPLISSIMI, me a
VOBIS ornatum sensi, effecit, ut arriperem occasio-
nem primam explendi pietatis atque gratitudinis offi-
cia, non ut debebam et beneficiorum magnitudo postu-
labat, sed ut poteram. Haec est causa quae me im-
pulit, ut VESTRIS MAGNIFICIS AM-
PLIS-*

*PLISSIMISQVE NOMINIBVS huncce exi-
guum libellum dicarem. Accipite ergo huncce libellum,
non quem dignum VESTRAE eruditioni putarem,
sed quem testem volui esse illius animi adfectus grati-
tudinis ac pietatis, quo me perfusum sentio. Seruet
DIVINVM VOS VESTRASQVE AMPLIS-
SIMAS FAMILIAS in utilitatem patriae ciui-
umque ad ultima aetatis tempora, quo diutius simul
AMPLISSIMO VESTRO PATROCINIO
perfrui queam, qui sum*

**NOMINIBVS VESTRIS
MAGNIFICIS CONSULTISSIMIS AMPLISSIMIS
PRUDENTISSIMIS**

dabam Lipsiae

d. xxv. Maii. CICDCCCLXVIII.

addicissimus

**JOHANNES GOTTLÖB GANS,
RESPONDENS.**



D E

IVRE PARTVS SPVRII
EXIGENDI ALIMENTA A PATRE NON OB-
STANTE TRANSACTIONE INITA
CVM MATRE.

§. I.

N on quæramus, quid naturae ius de partu
alendo statuat, quidque humanitas suade-
at: Concedimus ex ordine naturae siue
rerum physico partum alendum esse, sal-
tem donec se ipsum exhibere possit, quam necessitatem
alendi homo cum plerisque animalibus certo modo com-
munem habet, idque et in eum finem moralem, quo hu-
manum genus ex creatoris sanctissimi decreto conferuetur,
cuique necessitati naturalis et innatus amor succurrit. Si
ergo hanc demas necessitatem, si hunc eripias homini amo-
rem, nemoque partus aleret, quid posset aliud euenire,

quam

❖ ❖ ❖

quam quod breui totum genus humanum periret. Dicamus de ciuili obligatione tantum, seu de ea, quam lex impo-
suit parentibus partum alendi, nec de omni obligatione ci-
uili parentibus imposta, sed de certo tantum themate.

§. II.

Spurii seu qui vulgo concepti erant, cuius nominis origines exposuit MENAGIVS in *Amoenit. Iur. Ciuit. Cap. XXXIX. v. Spurius*, ii dicebantur, teste MODESTINO in *L. 33. π. de statu homin. qui patrem demonstrare non pos- sunt, vel qui possunt quidem: sed eum habent, quem habere non licet.* Quod si ergo patrem habere non videntur, quaestioni nostrae facilis est decisio, eosdem nec a parte alimenta exigere posse, sed tantum a matre alendos esse, quae sibi imputare hoc onere grauata debebat, quod lucri causa alii suum subiecerat corpus. Et quamquam IUSTI-
NIANVS *Nouell. LXXXIX. cap. 12. §. 6.* sanciat, alendos a patre vel eius successoribus esse naturales liberos, tamen semper in ipso Romano iure manifesto naturales illi a spuriis distinguuntur, ut hi sub illis plane intelligi nequeant. Hinc VLPIANVS in *L. 5. π. de agnosc. et alend. lib. de vulgo quae- sitis tantum statuit, matrem cogendam esse ad eos alendos, nihil contra adfirmat de patre.*

§. III.

§. III.

At Pontificium ius , quod quodammodo omnem praeter matrimonium , coniunctionem improbare videtur , aequiparauit liberos naturales atque spurios , seu effecit , ut eodem iure considerandi sint . Quare Ius forense nouissimum approbavit , ut , quae Romano Iure de naturalibus alienis disposita essent , applicarentur ad spurios . Superuenit adhuc , quod patriae iura concubinatum improbent , ut hodie naturales libros ex sensu Iuris Romani plane non habemus . Eo magis ergo comprobauit forum , obligatum esse spurii patrem ad praestanda alimenta , dummodo aliquo modo pater constet . Imo ipsa matris confessio patrem constituit , si negare nequit , se cum ea concubuisse circa tempus impregnationis , ut pro patre haberi possit . Hanc iuris recepti dispositionem adeo scriptae comprobarunt leges , quale quid in Saxonia Electorali factum est per CONST . P . IV .

Conf. 27.

§. IV.

Alere ergo pater naturalis quoque tenetur spurium . Sed quae sunt illa alimenta . Alia interdum civilia sunt , et non absoluuntur sola necessitate viclus et amictus , sed et alimentarii dignitatis rationem habent . Alia vero tantum so-

* * *

lam necessitatem respiciunt. Si de legitimis liberis alendis sermo est, non est dubium, quin pater teneatur pro conditione et statu suo liberos alere atque educare. At si de spuriis quaeramus, cum non sequantur conditionem patris, facile patet, sufficere tantum necessaria alimenta, donec ad eam veniat aetatem partus, ut semet ipsum alere sibi que suo labore viclum parare possit. Accedit, si ad mores respiciimus, cum spurii ex his macula laborent, in alimentis praestans spuriorum dignitatis, quam non habent, ratio haberi nequit. Sed haec de alimentis alendique necessitate.

§. V.

Iam de transactione matris spurii cum impregnatore inita. Saepe contingit, ut, qui feminae solatae amplexibus delectatus sit, impregnata ea patris nomen postea vereatur suique delicti poenam oneraque illud sequentia metuat. Ut ergo se ab omni periculo, incommodo imo et poena libaret, interueniente transactione, vel, si magis placet, conuentione inita cum impregnata, id efficit, ne patrem eum indicet neque alimenta partus sui exigat. Conueniunt ergo utrique inter se, impregnata promittit se aliud, quam impregnatorem nominaturam patrem nascituri vel iam nati spurii, neque partui alimenta exacturam: impregnator, qui se hac promis-

fione

+ + +

sione tutum arbitratur, certam pecuniae summam se solutum promittit. Non opus, ut singula momenta, quae in hac transactione obseruantur, annotem, quippe haec facilia sunt: nec, quae cautiones seruandae, adscribam, ne peccantibus consilia dedisse videar. Dubitari tamen potest, an vis huic conuentioni, aut si ita nominare fas est, transactioni tribui possit. Constat enim de delictis publicis, quae sanguinis poenam non ingerunt, transigere vel pacisci non licere ob autoritatem *L. 18. C. de transact.* Facile ergo concludi posset, omnem transactionem super commissum passumque stuprum illicitam esse. Sed non omnino videntur transigere vel pacisci partes inter se de delicto, sed de priuato eo, quod interest. Agere enim licebat stupratae ad dotationem atque ad partus alimentationem, de his ergo transigunt, non directo de ipso delicto. Non enim dubium est, utrosque et stupratorem et stupratam posse adhuc a iudice, non obstante illa transactione rite inita, poena coerceri, si delictum commissum esse postea experiatur. At frustra dotationem alimentaque interposita illa conuentione perat mater stuprata quae suo renunciauerat iuri, ad quod post renunciationem non datur regressus. Sed iam quaestio est, an ipse spurius adhuc possit petere sibi alimenta a patre.

Ante omnia videndum, an falsum, quod ex transacto
commiserat mater stuprata falsum nominando patrem, spurio
partui detrimentum iuris sui ex lege competentis inferre pos-
sit. Dein an vis illius conuentionis obliget non tantum ma-
trem, sed etiam partum spurium. Vtramque causam co-
gnoscamus. Evidem solet is haberi pater, quem nominat
mater, donec haec clidatur praesumtio, vel expresse contra-
dicatis, qui pater nominatus fuerat. Si ergo mater ex
transactione inita quem patrem appellauerit, qui talis non est,
delinquit committendo falsum. Delictum vero debet ei im-
putari, qui deliquit, non vero ei, qui non deliquit, qualis est
partus spurius. Quodsi ergo mater vel partum non alat, vel ale-
re non possit, putarem, si spurio tutor datus sit, hunc utique
agere posse contra verum patrem, sed probet simul stupratorem
eum esse, contra quem agat. Non itaque exceptio trans-
actionis opponi poterit spurio, quippe qui non transegerat
et in cuius detrimentum contra veritatem et legum obligatio-
nem matri transigendi ius non erat. Dein cum transac-
tiones de alimentis futuris praestandis non valeant nisi autore
iudice facta sit, coram eo vero transactio spurii, qui cum

patriae

* * *

B

patriae potestati nullius subsit, pupilli iuribus fruitur, aliter
fieri et confirmari nequit, quam tutore autore facta; hinc
facile patet saluum adhuc spurio non tantum semper manere
ius alimenta exigendi a patre vero, sed etiam eundem ex
transactione matris non teneri. Haec ita, si mater viuat, nec
alat spuriū.

At quid! Si mortua sit mater spuriū tutorque eidem
datus, an tunc actio detur contra stupratorem ad alendum
spuriū? Distinguendum tunc censeo, an spurius matri heres
existat nec ne. Si heres existat, actioni obstat exceptio,
quod heres teneatur praefastare facta defuncti. Hinc si valide
sit initia illa conuentio matris atque stupratoris, frustra ageret
spurius heres de alimentis a patre sibi praestandis, cum exce-
ptione allegata repelleretur, quippe qui contrahit, pro se suis-
que heredibus contraxisse videtur. At vero, si heres matri
spurius non existat, alimenta quae suo iure postulare a pa-
tre poterit, recte postulabit, quippe conuentio illa inter
stupratorem atque stupratam inita hos saltē obligare potest,
qui consenserent, vel qui eorum heredes sunt, non aequē
eos, qui neque consenserunt neque eorum sunt heredes.
Et praeterea, cum, quod heres non existat spurius matri,




nihil tunc habeat, vnde se alat, onerique futurus esset Reipublicae, huius interesse postulat, vt is partum alat, qui autor spurii fuerat, magis, quam vt hoc onus respublica ferat, dummodo pater in ea sit conditione, vt alimenta necessaria prastare possit.

§. VIII.

Ex his simul rationes depromi possunt ad singularem facili speciem decidendam. Femina quaedam grauida deprehensa diuersis autorem quaerentibus nominat Titium. Hic, vel quod stuprator non esset, vel quod nollet videri, cum patrem adhuc haberet per hunc feminam illam grauidam eo persuadet, vt coram iudicio fateatur Titium filium stupratorem eius non esse, promittatque se simulac partum enixa sit, verum patrem indicaturam. Initia haec transactio post confirmatur a iudice seque satis tutum defensumque putabat Titius. Euenit vero dein, cum peperisset illa femina, puellamque nocta sit, vt Titium stupratorem patrem spurii partus nihilominus ecclesiae indicaret, cum baptizanda esset filia spuria. Titius qui potius matrem conuenire poterat, tacet, nequaquam tamen alimentorum nomine praestandorum conuenitur a matre. Interiecto tempore mater ipsa stuprata in summam incidit miseriam, vt non tantum eidem abe-

undum

undum fuisset ex eo loco, quo haec tenus domicilium habuerat, sed in eam venit egestatem, ut mendicando sibi filiae que suae spuriae victimum quaereret. Praeterlapsi temporis spatio cum mendicandi causa de loco in locum migraret, morbo corripitur atque ita in via regia perit, antequam a quocquam auxilium expectare posset superstite relicta puellula; cumque nihil haberet, sumtibus illius loci, ubi mortua, terreae mandata. Indefensam illam puellulam recepit interim illius loci incola, tutor constitutus postea a iudice. Experitur dein, quae fuerit mater, quis indicatus stuprator pater, inque eius manus venit conuentio illa a matre inita atque tum a iudice confirmata: et cum vel ab ipso tutori vel publico sumtu superstes illa puella alenda fuisset, quaerebatut, *an a stupratore alimenta impuberi spuriae exigi possent, non obstante transactione cum matre inita!* Evidem promiserat stuprata, se Titium patrem spurii partus non habere nec habiturum, ut ergo actio ex hac coram iudicio facta confessione Titio enata sit, qua conuenire potuissest feminam, quae confessis promissisque haud steterat, cum postea eundem Titium patrem haud indicasset. Cum vero Titius passus sit nomen inscribere suum dyptichis baptizatorum, partus eundem eo usque habebit patrem, donec probauerit,



uerit, se patrem non esse. Neque adiumento eidem erit transactio iudicaria; cum enim in ea promiserit atque confirmauerit, se verum patrem nominaturam, Titium nihilominus patrem compellauerit, neque presumenda sit falsum tunc commisile, cum eundem indicauerit, potius probabile sit, ex errore potius transactionem iniisse, ita arbitrarer obligatum fore Titium ad alendam spuriam, nisi alia ratione fese liberauerit probando, se non fuisse stupratorem. Et praeterea cum stuprata mortua sit, neque quidquam reliquerit, ut filia spuria illius heres ne quidem esse potuerit, et propterea ad facta promissaque matris, cuius heres non est, non teneatur, pater stuprator nominatus tacuerit, dyptichoque baptizatorum inscribi se passus fuerit, censeo recte tutorem, ut publicum liberet ab alimentatione spuria, agere posse contra Titium tanquam verum patrem a matre indicatum ex transactione, et eundem, nisi aliis quam ex transactione petitis argumentis fese liberet ad alimenta spuria praestanda esse condemnandum.

T A N T V M .



ULB Halle
005 880 491

3



ND18





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-400898-p0020-5

DFG

Cr. 13. num. 11.

1768, 11.

S P E C I M E N

C O N T I N E N S

C A P V T I V R I S C O N T R O V E R S I

D E

R E P A R T V S S P V R I I

I G E N D I A L I M E N T A A P A T R E

N O N O B S T A N T E T R A N S A C T I O N E

I N I T A C V M M A T R E

Q V O D

V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A

P R A E S I D E

H I R I S T I A N O H E N R . B R E V N I N G

E S S O R . I V R . N A T . E T G E N T . P V B L I C . O R D I N .

E T S O C I E T A T . L I T E R . D V I S S V R G .

S O C I O

E X X V . M A I I A N N O C I C I C C L X V I I I .

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

P V B L I C E D E F E N D E T

J A N N E S G O T T L O B G A N S

Z I T T A V I E N S .

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

Centimetres

